



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio XLII. De essentia, & partibus Eucharistiæ in communi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Circa primum queruntur octo.

- Primo, utrum panis & vinum sint materia huius sacramenti.
- Secundo, utrum ad materiam huius sacramenti requiratur determinata quantitas.
- Tertio, utrum materia huius sacramenti sit panis triticus.
- Quarto, utrum sit panis azymus, vel fermentatus.
- Quinto, utrum materia huius sacramenti sit vinum de vite.
- Sexto, utrum sit admiscenda aqua.
- Septimo, utrum aqua sit de necessitate huius sacramenti.
- Octavo, de quantitate aquae, quae apponitur.

Post explicatam quaestionem, an sit hoc sacramentum, incipit inquirere D. Tho. quid sit, & essentia eius explanare; agens prius de materia, postea vero de forma huius sacramenti. Prius vero, quam ad has partes specialiter descendamus, expediens visum est, disputationem praemittere, in qua generatim inquiramus, in quo huius sacramenti ratio, & essentia consistat, ita enim facilius erit postea disputatio de singulis partibus sacramenti.

DISPUTATIO XLII.

De essentia, & partibus huius sacramenti in communi.

**U**pponimus ad hoc sacramentum concipiendum multa concurrere: scilicet, aliquam verborum formam, materiam panis & vini: quae, dum conficitur sacramentum, partim transit, scilicet, quoad substantiam panis & vini, & ut sic, materia remota dicitur, partim permanet, scilicet, quoad accidentia, & ut sic, materia proxima appellatur. Praeterea, Corpus & Sanguinem Christi, quae sub speciebus consecratis continentur: ac denique post haec reperitur usus huius sacramenti, quae omnia in sequentibus probanda sunt. Hic solum explicandum est, quomodo haec componant hoc sacramentum: seu quid illorum ad essentiam eius componendam intrinsece pertineat. Nam de omnibus dictis est dubium, praeterquam de materia remota, de qua, cum non maneat, non est inter Catholicos controuersia. Supponendae sunt etiam hoc loco differentiae huius sacramenti a reliquis, quas supra disp. 39. sect. 2. late tradidimus.

SECTIO I.

An species consecratae sint sacramentum Eucharistiae, vel de intrinseca ratione eius.

**I**n vobis modis videtur esse ab aliquibus negatum, species consecratas intrinsece constituit, & esse de essentia sacramenti Eucharistiae. Primus fuit Valdensis tom. 2. de sacramentis, cap. 21. ubi dicit, in aliis sacramentis solum visibile signum, inuisibilem gratiam significans, esse ipsum sacramentum: hic vero sacramentum esse inuisibilem gratiam, per visibile signum proxime significatam, id est, Christum Dominum, quem verba significant, & sub speciebus constituunt, species autem & continent, & significant. Unde concludit, species nec ad essentialem constitutionem huius sacramenti pertinere, nec esse sacramentum, nisi per quandam analogiam: quia sunt signum sacramenti, sicut color dicitur sanus, quia est signum sanitatis. Fundatur hic author solum in quibusdam Sanctorum testimoniis, qui hoc sacramentum Corpus, & Sanguinem Christi appellant, quos partim citamus q. praeced. art. 4. partim allegabimus infra sect. 3. ubi verum illorum sensum expendemus. Et confirmari potest haec opinio, quia species

sicut non significant, ita nec efficiunt gratiam sanctificantem, sed solum significant Christum, quem continent. Christus vero ipse est, qui gratiam confert, iuxta illud, Jo. 6. Qui manducat me, & ipse viuet, propter me. Cum n. humanitas sit instrumentum coniunctum, & praesens, ac proxime adit, non indiget alio instrumento: species ergo nihil efficiunt, ergo non sunt sacramentum, nec pars sacramenti.

Secundus modus, seu secunda opinio est, species non esse partem sacramenti huius, quia solum forma verborum est, totum sacramentum. Haec sententia tribui solet Caietano, qui supra qu. 63. art. 6. ita loquitur: circa Eucharistiae sacramentum duo possunt considerari, scilicet ipsum sacramentum, quod nihil aliud est, quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiae, cum ergo consecratio verbis fiat, significat, sola verba esse Eucharistiae sacramentum. Quae sententia tribuitur etiam Marfil. in 4. q. 1. art. 1. & q. 6. ar. 2. & videtur illi fauere D. Thom. in 4. d. 8. quaest. 1. artic. 1. quaest. i. cum dicit, in sacramento Eucharistiae sanctificatione materiae esse ipsum sacramentum. Et suaderi potest haec opinio: quia in hoc sacramento sola verba sunt sensibile signum, efficax summae gratiae, id est, Christi, quem significant, & quodammodo efficiunt: species autem, ut dictum est, nihil efficiunt. Et confirmatur, quia negari non potest, quin verba habeant significationem sacramentalem: ergo vel sunt sacramentum, vel pars sacramenti: non sunt autem pars, quia non habent co-partem, cum qua vnum totum constituat, quia successiuum cum permanente non potest coniungi ad vnum totum constituendum: ergo sunt integrum sacramentum, & non aliud, quam Eucharistia: ergo.

Dicendum vero primo est, solum Christi Domini Corpus, ac Sanguinem non esse integrum Eucharistiae sacramentum. Haec est communis sententia Doctorum, quos statim referam, & colligitur ex Innocent. III. & ex Concil. Trid. & ex aliis multis Patribus & decretis, quae statim ad probandam tertiam conclusionem afferam. Ratio vero clara est, quia de ratione sacramenti est, ut sit per se signum sensibile: Christus autem, ut in hoc sacramento, non est modo sensibilis: ergo per se sumptus non potest esse totum sacramentum, necesse est enim, ut in intrinseca essentia sacramenti, aliquod signum, quod sensibus obici possit, includatur. Unde, si res aliqua per se insensibilis interdum est pars sacramenti, necesse est, ut cum alia per se sensibili coniungatur, & aliquo modo, saltem per accidens, sentiat, ut in contritione & confessione videre licet. Sicigitur, Corpus Christi, prout est in hoc sacramento, non potest per se constituere sacramentum, cum secluis speciebus nullum signum per se sensibile maneat, quod ad constituendum sacramentum sufficiens sit. Unde aperte repugnat, species habere rationem sacramenti per analogiam ad Christi Corpus, cum potius, ipsum Corpus per ipsas tantum species aliquo modo, scilicet sacramentaliter, sentiat: species autem per se sensibiles sint. Propter quod sancti Patres docent, ipsas species esse sacramentum tantum: Corpus autem Christi esse rem, & sacramentum simul.

Dico secundo, verba consecrationis non sunt Eucharistiae sacramentum. Communis est conclusio Theologorum, & existimo esse certam, colligitur ex communi loquendi modo Sanctorum, & Conciliorum, appellantium species ipsas, sacramentum, ut iam videbimus. Praeterea dicunt Patres, consecratione perfici sacramentum Eucharistiae, non autem consecrationem esse ipsum sacramentum. Aug. li. 20. contra Faustum, c. 13. Noster panis & calix, certa consecratione mystice fit nobis, non nascitur. & in c. Quia passus, de Consec. d. 2. Mysterium, dicitur, pacis, & unitatis nostrae in sua mensa consecrauit. Greg. Nyss. in cap.

Ioan. 6.

Opinio.

Caiet.

Marfil. D. Thom.

Conclusio.

Innoc. III. Conc. Trid.

Conclusio.

Augustinus.

Greg. Nyss. in cap.

Ambros.

in cap. Quia corpus, eadem dist. Necessarium erat, vt in die cœnæ sacramentum nobis Corporis & Sanguinis sui consecraret: & similia habet Ambros. li. de iis, qui initiantur, c. 9. & lib. 4. de sac. c. 4. Ac deniq; in c. Ego Berengarius; In suæ hæresis abiuratione, iurat ille, se credere, post consecrationem, non solum sacramentum, sed verum Corpus & Sanguinem Christi Domini nostri in altari manere. Ergo, cum verba transeant, & sacramentum maneat, necesse est sacramentum esse aliquid, præter verba. Nec potest accommodari eorum fuga, qui exponunt manere sacramentum, quia manet Christus, qui est res, & sacramentum simul: quia ibi expresse dicitur, manere sacramentum, præter Corpus & Sanguinem Christi, quæ sunt res & sacramentum simul. Deniq; Concil. Floren. expresse dixit, per hæc verba hoc confici sacramentum, Conc. Trident. sess. 13. cap. 1. dicit, post panis & vini consecrationem, Christum Dominum in hoc sacramento contineri, ergo præter rem & sacramentum, scilicet Christum, manet sacramentum continens ipsum. Non enim ipsum seipsum continet: vnde id dicitur esse ratio specierum, certum est, vt clarius explicatur in c. Firmiter, de sum. Trinit. & fid. Cath. vbi dicitur: Christum contineri in altari, sub speciebus; si ergo verba efficiunt Eucharistiæ sacramentum, & post verba, præter Corpus & Sanguinem Christi, manet sacramentum, in quo Christus continetur, non sunt verba ipsum sacramentum. Et confirmatur, quia Eucharistia est sacramentum permanens, quod à fidelibus sumitur, vt animarum cibus & adoratur, & circumfertur, & pro infirmis feruatur, vt Concil. Trident. tradit sessio. 13. per multa capita. Verba autem nec permanent, nec sumuntur à fidelibus, nec adorantur, circumferuntur, aut seruantur: ergo illa, per se sola, non possunt esse Eucharistiæ sacramentum, quia non conueniunt illis proprietates rei permanentis, quæ sacramento Eucharistiæ attribuantur. Et hæc conclusio euentius constabit ex sequenti. Nec existimo Diu. Thomam, aut aliquem authorem grauem sensisse contrarium: quamquam interdum aliqui minus proprie loqui videantur. Quia in re perspicua non existimant de vero ipsorum sensu potuisse dubitari. Proprie ergo, & in rigore falsum est asserere, sacramentum Eucharistiæ esse actionem consecrandi: & si alicubi hoc reperitur, interpretandum est, vel de actione, ratione sui termini, vel in sensu casuali, scilicet Eucharistiæ consecratione. Et ita se exponit aperte D. Thom. illo loco, & infra hac 3. par. quæstione 78. articulo 8. & sæpe alias: & idem est sensus Caietani, qui illo loco non tractabat de essentia huius sacramenti, sed de actionibus, quæ in illo interueniunt, scilicet consecratione, & sumptione, vt ostenderet, per neutram illarum characterem imprimi, de quo ibi disputabat. Marfil. etiam eodem modo interpretandus est. Nam, licet in priori loco obscurius loquatur: in posteriori satis aperte veritatem docet.

Conc. Flor. Conc. Trid.

Conc. Trid.

Marfil.

Species consecrata potest non ad effectum Eucharistiæ.

D. Thom.

Hugo Viç. Auctod. Al. m. Cauer. Rich. rd. Viguar.

Dico tertio, species consecratas esse Eucharistiæ sacramentum, seu ad illius constitutionem intrinsece & essentialiter pertinere. Propono conclusionem hanc sub distinctione, quia perfecta illius intelligentia pendet ex iis, quæ dicemus duabus sequentibus quæstionibus. Vbi ostendemus, sensum vtriusq; partis recte intellectum eodem reuolui. Conclusio ergo est communis Theologorum, D. Thom. hic art. 1. ad 2. & 3. & aliorum in 4. dist. 8. vbi Magist. etiam hoc sacramentum dicit esse, inuisibilis gratiæ visibilem formam. Vnde concludit, ipsas species esse sacramentum tantum, quod prius docuerat Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. 7. tenet Al. tifod. libr. 4. Summæ. tractatu 5. capit. 1. Alenf. 4. p. q. 31. membr. 3. Caietan. quæst. 57. art. 1. in fine, Richard. artic. 1. Viguierus in Summa cap. 16. §. 3. quam Theologorum doctrinam amplexus est Innoc. III. in capit.

Cum Marthæ, de celebrat. Missarum, docens, species visibiles esse sacramentum tantum. Et indicatur etiam in cap. Hoc est, de Consecratione dist. 2. quod ex Augustino desumptum est, partim epist. 23. ad Bonifacium, partim aliis locis, & Concil. Trid. sessio. 13. c. 3. eadem vtitur doctrina, cum docet, commune esse huic sacramento cum cæteris, esse inuisibilis gratiæ visibilem formam. Et confirmatur, nam ratione specierum, dicitur Corpus Christi contineri in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, eadem sessio. cap. 1. & in cap. Species, de Consecrat. dist. 8. & sæpe alias. Nec enim corpus Christi ratione sui ipsius potest dici contineri in sacramento magis, quam in se ipso: sunt ergo ipsæ species sacramentum: vel certe sacramentum ipsum componunt, vel intrinsece constituunt. Et alia similia argumenta confici possunt ex multis aliis locutionib. de hoc sacramento, quæ in Conc. Trid. & in variis decretis, de Consecrat. d. 2. faciliè reperitur. Ratio vero clara est, quia species visibiles sunt signum sacrum. Significant enim Christum, quem continent, significant autem illum, vt animarum cibum, atq; adeo, vt sanctificatorem homines, per modum spirituales nutrimenti: quæ significatio ad rationem sacramenti posse sufficere: tamè præterea significant gratiam, & charitatem: quia significant vniomem in vno corpore Christi mystico: quæ vno charitate pficitur. Ac denique realiter in se continent Christum, quod genus quoddam causalitatis est, & fortasse ad effectum pertinet, vt infra dicam. Tandem probabile est, efficere etiam gratiam, vt instrumentum physicum Christi, nihil ergo deest speciebus cõsecratis, quo minus possint Eucharistiæ sacramentum componere, seu constituere.

Fundamenta contrariorum opinionum ex dictis fere soluta sunt: VValdenis enim in æquiuoco laborasse videtur, nam ex eo, quod Corpus & sanguis Christi sunt res præcipuæ, ex quibus maxima dignitas huius sacramenti confurgit, existimauit, accidentia, comparatione illarum, quasi nihil esse, & ideo analogice esse sacramentum, cum tamen valde diuersum sit agere de rei nobilitate, ac agere de ratione sacramenti, quia cum de ratione sacramenti sit ille signum sensibile, fieri potest, vt in re minus nobili prius & exactius inueniatur ratio sacramenti, si illa per se sensibilibus, quam in re nobiliori, si non sit per se sensibilibus, sed tantum per aliam, vt in presenti accidit, sicut explicatum est. Patres vero, quos VValdenis allegat, licet dicant, Corpus Christi esse sacramentum, non tamen excludunt species. Quomodo autem intelligendi sint, in sectione 3. dicemus. Ratio vero in fauorem illius sententiæ facta falsum sumit, vt vilius est, & idem dicendum est ad rationem factam pro secunda sententia, de qua plura in sequenti sectione dicemus.

SECTIO II.

An forma verborum consecrationis sit de essentia huius sacramenti, intrinsece illud constituens.

Consecratio duobus modis accipi potest. Primo conficitur. Secundo, pro actione illa mirabili, qua panis in Corpus Christi conuertitur. De hac posteriori non est quæstio, quia constat, illam esse viam ad constituendum hoc sacramentum, non tamen pertinere intrinsece ad ipsam rationem sacramenti, quia non est forma sensibilibus, sed potius inuisibilis actio eius, sicut spiritalis actio, qua per formam, v.g. Baptismi, efficitur gratia in anima, non est sacramentum, sed potius res sacramenti, seu via ad illam. Intelligitur ergo quæstio de ipsa forma verborum, de qua non est controuersia inter Catholicos, quin aliquo modo sit forma huius sacramenti, vt Concilium Florent. tradit, & infra quæstione 78. latius dicitur.

Difficultas vero est, quomodo intelligendum sit, esse formam: scilicet, an tanquam formam informantem & constituentem ipsum sacramentum, an vero solum, vt formam extrinsecam illud efficiens.

Supponendum secundo est, illa verba non esse integrum aliquod sacramentum, quia neq[ue] est Eucharistia, vt ostendimus, neq[ue] aliud aliquod ab illa distinctum, quamquam Gabriel. d. 6. art. 3. dub. 2. contrarium alterere voluerit, licet formidando. Sed est noua & absurda sententia, qua posita plura essent sacramenta, quam septem: quod Gabriel consequenter concedit. Quamuis per reductionem, dicat ad septem omnia reuocari, quod ego supra satis improbau in disputatione 39. & 1. huius materie. Ratio etiam a priori adiungi potest: quia id, quod est integrum sacramentum nouæ legis, est proximum signū efficacis gratiæ sanctificantis, quam continet & confert, vt patet ex generali doctrina de sacramentis nouæ legis. Hæc autem verba non sunt instituta ad conferendam gratiam. Vnde non possunt immediate applicari ad sanctificationem hominis, sed solum ad sanctificationem materie. Et ideo sola illa: ac per se sumpta, non possunt esse integrum sacramentum nouæ legis, sicut sanctificatio Chrysostomi, aut benedictio olei, non potest habere integram rationem sacramenti. Et ita melius docuerat idem Gabr. lect. 35. in Canonem, & omnes Doctores, d. ff. 8. Et ex his intelligitur facile ratio dubitandi in proposta questione.

Prima igitur sententia dicit hanc formam, nec esse sacramentum, nec partem sacramenti Eucharistia. Potest pro hac sententia referri Scotus in 4. dist. 1. arti. 1. sed ille generaliter in omnibus sacramentis negat formas esse partes intrinsecas, sed in hoc deceptus est, vt suo loco ostendimus. Nec in aliis est eadem ratio dubitandi, quæ in isto. Tenet igitur proprie hanc sententiam Scot. dist. 8. quæst. 1. ad tertium quem sequitur Gabriel ibi questione vnica in principio. & lect. 8. in Can. Victoria in Sum. numero 52. Ledelma quæst. 1. 4. artic. 1. dub. 2. Catherinus Opus. 2. de verbis, quibus Christus consecrauit. Claudius repetit. 4. cap. 12. & optime omnium Alanus, libro primo de Eucharistia, cap. 3. 4. & 5. Hi dicunt non esse de ratione sacramenti, vt essentialiter atque intrinsece consistit rebus vt materia, & verbis, vt forma, sed solum, vt ex rebus & verbis conficiatur, quacunque ratione: quod in hoc sacramento seruat solum, quia verba sunt necessaria ad conficiendum hoc sacramentum, per modum formæ extrinsecæ efficiens. Et primo inuaditur ex Concilio Florentino, quod primum in genere loquens, non dicit omnia sacramenta consistere ex materia & forma, sed omnia tribus perici, materia, forma, & ministro. Ex quo solum habetur, illa tria esse necessaria, non vero essentialia, vt de ministro dicere necesse est. Statim vero loquens in specie de hoc sacramento, dicit: materiam esse panem & vinum: formam autem verba: consistat autem illam materiam non esse intrinsecam, & essentialem sacramento in facto esse: sed solum esse materiam remotam, & quasi terminum à quo, necessarium in fieri. Ergo eodem modo dici poterit forma sacramenti in fieri: non vero constituens illud intrinsece in facto esse. Vnde inferius idem Concilium dicit, hanc esse formam, qua hoc conficitur sacramentum, & eodem modo loquitur Patres supra citati. Est ergo hæc forma efficiens, non informans hoc sacramentum. Vnde arguitur secundo ex differentia inter hoc sacramentum, & reliqua: quia in aliis forma non efficit sacramentum, sed effectum sacramenti, & ideo potest per se constituisse sacramentum: at vero hic forma efficit sacramentum: ergo non formaliter constituit: quia, teste Aristotele, forma informans, & efficiens non coincidunt in eadem numero. Tertio, quia in aliis sa-

cramentis non est aliud esse, quam fieri: & ideo eisdem formis sunt, quibus fiunt: ad hoc sacramentum præter fieri, habet esse permanentem: res autem permanentem constituitur in suo esse per formam permanentem distinctam ab actione, qua fit: quia in tali re aliud est esse, aliud fieri. Vnde confirmatur, quia transacta forma, manet in altari integrum sacramentum, & non manet compositum ex rebus & verbis: ergo non est hoc compositum, sacramentum: sed illa tantum res, quæ in altari permanet: & consequenter verba non sunt pars extrinseca sacramenti, antecedens constat ex decretis supra citatis, quæ in hoc fauent huic sententiæ, & in eo etiam, quod simpliciter vocant species sacramentum tantum, nulla facta mentione formæ. Vltima ratio, & tertia differentia est, quia in aliis sacramentis proximè applicatur forma ad sanctificationem fidelium, quod est intrinsecum sacramento nouæ legis. Vt enim supra vidimus, debet esse cæremonia ad vsum & sanctificationem fidelium instituta: in hoc autem sacramento forma non est proximè ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ in vltim fidelium postea futura est: non est ergo pars sacramenti, sicut in Confirmatione, vel Extrema vnctione sanctificatio seu benedictio materie, quamuis simpliciter necessaria sit, non est tamen pars, vel forma sacramenti, quia remote tantum ordinatur ad vsum, & sanctificationem fidelium.

Quod si quis interroget, cum hæc forma sit signum sacrum, si non est sacramentum, vel pars sacramenti, quid sit? Respondet Soto dist. 8. quæst. 1. art. 1. esse sacramentale quoddam. Quod non mihi placet: quia habet effectum maxime supernaturalem, & ex institutione diuina est instrumentum efficax, & altioris rationis, quam sint ea, quæ sacramentalia vocantur. Scotus dicit esse viam ad sacramentum, sed hoc magis conuenit actioni ipsi, quam formæ verborum. Melius ergo dicitur forma extrinseca, & efficiens. Vel certe probabiliter dici potest, quod sit actio sacrificandi in cruentum. Nam, vt infra dicam, dum hoc sacramentum conficitur, sacrificiū Deo offertur. Et ex hoc dicendi modo accommodatissime explicatur hæc opinio. Dixi enim supra, agens de sacramentis in genere, hoc differre inter sacramentum & sacrificium, quod licet vtrumque sit signum sacrum, tamen sacramentum ordinatur ad vsum, & sanctificationem fidelium, sacrificium vero ad offerendum Deo aliquid sacrum, in singularem cultum eius. Verba ergo consecrationis proximè ordinata sunt, ad conficiendum Corpus Christi, & Sanguinem separatim ex vi verborum: & hoc modo ad immolandum & offerendum Deo in cruentum ipsum Christum, in singularem cultum ipsius Dei. Et ideo proximè pertinent illa verba ad constituendum sacrificium, & sunt signum sacrum per modum sacrificij, non per modum sacramenti. Quia vero id, quod Deo in sacrificium offertur, postea cedit in vsum fidelium, inde fit, vt per hæc verba, & per hanc sacrificiationem conficiatur spiritalis cibus, qui sit perfectissimum sacramentum, quo reficiuntur fideles. Ex quo etiam colligitur, posse hæc verba dici formam huius mysterij, quatenus sacrificium est. Sacrificium enim consistit in fieri, & in actione: & ideo forma eius merito dici potest actio sacrificandi, nam materia, seu quasi materia est res oblata, seu in cultum Dei consecrata, seu sacrificata: eadem vero forma, quæ informat sacrificium, efficit sacramentum. Quia, vt dictum est, res sacrificata manet in cibum, vsum & sanctificationem fidelium. Et hoc modo explicata hæc sententia non solum probabilis est, sed etiam valde accommodata explicat hoc mysterium & admirabilem sapientiam, quam in eo constituendo Christus ostendit.

Secunda nihilominus sententia est, verba esse formam

Opinio  
manu

mam intrinsece constituentem hoc sacramentum. Hanc videtur tenere Marfil. q. 6. ar. 2. & videtur favere D. Thom. tum in 4. d. 8. q. 1. ar. 1. quæstion. 1. tum etiam in tota hac materia, quatenus eodem modo loquitur de forma huius sacramenti, sicut de aliis. Fundamentum autem est illud generale axioma Theologorum, sacramenta novæ legis constant rebus & verbis: quod intelligendum videtur de constitutione intrinseca, & essentiali, ut fit in omnibus alijs: nam si in aliquo hoc negatur, poterit facile negari in reliquis: & ita tota hæc doctrina de constitutione sacramentorum reddetur inærcia. Sed, ut verum fatear, hoc argumentum non admodum cogit, ut prima ratio præcedentis sententiæ demonstrat, nam est specialis ratio, & quasi singularis natura sacramenti, nihil mirum est, si in illo hæc singularis exceptio, & propria constitutio. Alia ratio adiungi potest quia hæc verba sunt signum sacramenti, & efficax summa gratiæ, quia vim habent constituendi Christum in hoc sacramento, & significandi illum, ut est cibus animarum sanctificans, ergo hæc verba sunt sacramentum, vel pars sacramenti. Non primum, ut ostensum est, ergo secundum. Sed hæc ratio ex dictis facile solvi potest, dicendo, hæc verba significare per modum sacrificij, quæ significatio est veluti extrinseca & efficiens in ordine ad sacramentum. Denique ratio esse potest, quia hæc forma habet circa species illum effectum sacramentalem, quem habere potest forma sacramentalis, quia definit, & determinat materiam ad sacramentalem significationem. Dici tamen potest determinare effectivè consecrando materiam. Sed ratio est probabilis, ut statim explicabo.

*Non verba, sed quod ex verbis relinquitur esse formam huius sacramenti, quidam volunt.*

Tertia opinio esse potest, quæ est veluti explicatio præcedentis, non verba, sed quod ex verbis relinquitur, esse formam huius sacramenti, ad modum, quo nonnulli dicunt, Vbi, non esse superficiem continentem, sed quod ex circumscriptione eius resultat in locato. Sed hæc sententia addit aliquid obscurius, & non salvat modum loquendi Conciliorum, & vix potest non incidere in alterutram ex dictis. Interrogo enim, quid sit illud, quod verba relinquunt circa species: & an relinquunt effectivè vel formaliter: si effectivè, illud non potest esse, nisi consecratio physica, quæ consistit in separatione specierum à substantia, & conversione substantiæ in Corpus Christi. Et hoc modo iam verba non sunt forma informans, sed efficiens, ut prima opinio dicebat. Id autem, quod efficiunt, magis tenet ex parte materiæ proximæ, quam formæ: at vero formaliter nihil relinquunt verba circa species, nisi fortasse denominationem extrinsecam, neque enim, materiam manere determinatam ad talem significationem, potest esse aliud, quam habitudo rationis, & denominatio extrinseca, & hoc ipsum dicebat secunda opinio: & melius loquebatur, quia Conc. Florent. non dicit habitudinem rationis esse formam, sed verba ipsa. Item, quia illa habitudo non est quid sensibile, sicut verba. Item, quia in aliis sacramentis, licet possit considerari illa habitudo, non tamen dicitur forma, sed verba. Denique si habitudo illa consideretur ex parte verborum denominantium materiam, non est forma, sed quasi informatio extrinseca verborum. Si autem quasi passivè consideretur, ex parte specierum, est veluti unio materiæ ad formam, qualis hic esse potest.

*Iudicium auctoritatis de prædictis sententiis, & secundæ opinionis explicatio.*

In hac re dicendum est, primam sententiam rectè explicare, quidquid in re ipsa efficitur per hanc formam, & modus loquendi illius certe est expeditus & facilis, & potest optime sustineri. Secunda vero opinio non negat, quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet. Potest vero sic breviter explicari: quia per hæc verba aliquid physicum, & reale fit in materia consecrata, scilicet, ut sub illis speciebus realiter

Christus contineatur: & quoad hoc, verba solum sunt forma extrinseca & efficiens: quia vero hic effectus insensibilis est, ideo ex solo illo non intelligitur relinqui materia satis definita ad sensibilem & sacramentalem significationem. Et ideo alia ratione intelligi possunt illa verba sacramentaliter informare illam materiam: quia ex consecratione resultat quædam sacramentalis coniunctio inter talem materiam & formam, ratione cuius, species determinatur per verba, ad significandum, quod continent, & quoad hoc dici possunt sacramentaliter informari per illa: sicut in Baptismo ablutio determinatur per verba ad significandum spiritualem abluionem: & ideo in esse sacramenti talia verba sunt formalis materiæ. Simili ergo ratione in prædicti verba possunt dici informare materiam, & cum illa constituere unum sacramentum, quia vero hæc unio & informatio non est physica, ideo non oportet, ut sit intrinseca & propria, sed per quamdam denominationem extrinsecam. Et eadem ratione potest intelligi, illa materia manere informata & determinata per illam formam, etiam si verba transferant. Nam sicut dicitur aliquid formaliter cognitum à cognitione, quæ præterijt: sic etiam species manent determinatæ ad hanc significationem, quamvis moraliter subsistant illi formæ: subsistant autem non solum pro tempore, quo verba proferuntur, sed quamdiu retinent eandem habitudinem ad illam formam, quæ habitudo non est forma, ut alia opinio dicebat: sed est veluti unio materiæ cum forma, unde nos non intelligimus species esse consecratas, & significare, vel continere Christum, nisi quatenus intelligimus circa eas fuisse prolata verba formæ. Unde relatio signi, quæ rationis est, intelligi potest fundata in speciebus, ut denominatis à tali forma. Et hoc etiam satis est, ut licet verba transferant, dicitur tamen simpliciter manere sacramentum Eucharistiæ, ut Concil. Tridentin. sæpe in sessione 13. & tota Ecclesia docent. Primo, quia permanet totus Christus, quod est præcipuum in hoc sacramento. Secundo, quia sicut res successiva dicitur esse, quia aliquid illius est, licet aliquid iam transierit: ita hoc sacramentum, quod ex permanente & successivo confurgit, dicitur simpliciter esse, quia aliquid illius est, & id, quod in eo præcipuum est, durat. Præsertim tertio, quia in speciebus permanentibus manet tota significatio: verba enim tantum significant, contentum sub illis speciebus esse Christum, & hoc idem permanenter significant species iam consecratæ. Unde fit ultimum, quod, licet verba physice transferant, semper tamen quodammodo informant, ut diximus, illas species, quia illæ non significant, nisi ut consecratæ sunt, atque adeo, quatenus subsistant verbis consecrationis, quæ præcesserunt. Neque in ijs rebus requirenda est maior propinquitas, vel præsentia.

### SECTIO III.

*Vtrum Corpus & Sanguis Christi intrinsece & essentialiter pertineant ad huius sacramenti constitutionem.*

Supponimus de essentia huius sacramenti esse, ut in se contineat Corpus Christi realiter præsens. Hoc enim requirit veritas formæ, & hoc significant species tali forma consecratæ, ut latius infra quasi 75. ostendimus. Unde fit, non esse dubium inter Catholicos, quin Corpus Christi aliquo modo sit de intrinseca ratione huius sacramenti, saltem in obliquo, ut aiunt, id est, ut terminus illius habitudinis, seu unionis, quam species continententes dicunt ad rem contentam. Difficultas vero est, an Christus directe & in recto ingrediatur essentiam huius sacramenti, ita ut non tantum species sint sacramen-

tum, sed totum veluti compositum ex corpore & speciebus. Quidam enim Doctores negant, corpus Christi pertinere ad constitutionem huius Sacramenti hoc posteriori modo, sed species solas esse Sacramentum, ta sentit Marfilus in 4. quaest. 6. artic. 2. Vnde quaest. 1. artic. 1. dicit, corpus Christi non esse Sacramentum, sed annexum Sacramento consecrationis. Tenet etiam Soto distinct. 1. quaest. 1. art. 4. & distinct. 8. quaest. 1. art. 1. Et potest primo fundari in Patribus, & Conciliis, quae in primis, distinguendo, vt vidimus, illa tria, rem tantum, &c. dicunt species esse Sacramentum tantum, corpus autem Christi esse rem & Sacramentum simul: omnino ergo distinguunt corpus à Sacramento, & dicunt, Sacramentum esse signum corporis. Corpus ergo non constituit intrinsece id, quod est Sacramentum tantum, sicut nec significat seipsum. Et simile argumentum sumitur ex alia locutione, qua frequenter dicunt, corpus Christi contineri sub hoc Sacramento. Item etiam ex alia, quae habetur in dicto cap. Ego Berengarius, vbi dicitur: post consecrationem non solum manere in altari Sacramentum, sed etiam corpus Christi. Secundo argumentor ratione: quia inter corpus & species nulla est vera vnio realis & physica, vt infra dicamus, nec etiam sacramentalis: ergo ex illis duobus non componitur vnum Sacramentum: ergo corpus Christi non est de intrinseca ratione huius Sacramenti. Antecedens probatur: quia vt fieret sacramentalis vnio, oporteret alterum componentium esse, vt materiam, alterum, vt formam: sed corpus Christi non potest habere rationem formae, tum quia est alia forma, tum etiam, quia non est per se sensibilis, neque habet expressam significationem, nec determinat materiam, quae sunt de ratione formae: neque etiam potest habere rationem materiae: tum quia species sunt materia, tum etiam, quia materia est quid imperfectum. Tertio, quia si totum illud compositum esset Sacramentum, totum illud esset causa gratiae propria & immediata, ita vt corpus & species simul & proxime attingant effectum gratiae: quod & superfluum videtur, & non posse satis intelligi. Nam, licet Christus operetur, non tamen, vt causa propria, sed vt vniuersalis, quomodo cum aliis Sacramentis concurrat, & maiorem hic efficaciam fingere, & superuacaneum est, & sine fundamento.

Dicendum vero est, Eucharistiam non esse solas species sacramentales, sed compositam ex corpore & speciebus, seu corpus Domini sub speciebus contentum: atq; adeo corpus & sanguinem Christi intrinsece, & in recto pertinere ad constitutionem huius Sacramenti. Sententia haec satis communis est: tenet illam D. Thom. in 4. distinctio. 8. quaest. 1. art. 1. quaestuncula ad 2. vbi aperte dicit, ex speciebus & corpore Domini fieri vnum Sacramentum. Idem aperte Bonauent. in expositione litterae, Caiet. infra q. 75. artic. 1. in fine. Significat Capreolus dist. 8. art. 3. ad primum, tenet Victoria in Summa, num. 152. Ledesma 1. par. quarti. quaest. 14. art. 1. in fin. Alanus libr. 1. de Eucharistia, cap. 3. 4. & 5. Claudius repetit. 2. cap. 4. & repetit. 1. ca. 3. vbi dicit, Eucharistia Sacramentum consistit duabus rebus, signo scilicet, & carne Christi Domini: & cap. 12. multa in hanc sententiam asserit.

Et probatur primo hac sententia testimoniis antiquiorum Patrum, & Doctorum: & primo in capite. Hoc est, de Consecratione, distinctio 2. dicitur: sacrificium Ecclesiae duobus consistit, visibili elementorum specie, & inuisibili Iesu Domini carne: quae verba Gratianus & Algerus citant ex Diuo. Augustino: sed in eo huiusmodi verba minime reperuntur, quamuis epistol. 23. ad Bonifacium aliquid indicet. Reperuntur autem in Lanfranco, ex quo illa refert Ino 2. part. decreti, cap. 9. Damasc. etiam lib. 4. c. 14. Quia compositus sumus, inquit, ex duplici natura, da- Franc. Suarez. Tom. 3.

tus est nobis cibus, qui est Dominus noster, & sub specie panis nobis proponitur. Irenaeus lib. 4. c. 34. dicit, Eucharistiam duabus rebus consistere, terrenam & celestem. Quod non proprie intelligitur, propter compositionem Christi, ex duplici natura, quamuis ita exponat Claudius repetit. 2. cap. 4. quia illa compositio conuenit Christo secundum se. Irenaeus autem tractat de compositione Eucharistiae: per rem ergo terrenam intelligit species, per celestem autem ipsum Christum, qui dicitur, panis vitae, qui de caelo descendit. Docuit etiam hanc assertionem Hefychius, lib. 6. in Leuiticum, Lanfrancus contra Berengarium à columna 11. & Algerus libro 1. de hoc Sacramento, cap. 5.

Secundo probatur ex aliis sanctorum Patrum locutionibus. Prima sit: nam affirmant, hoc Sacramentum confici verbis Christi, vt supra vidimus: non conficiuntur autem species, sed corpus Christi, vel saltem compositum ex Christo & speciebus. Vnde simul etiam dicunt id, quod conficitur, esse corpus Christi, vt videlicet in Ambrosio 4. de sacram. ca. 8. Ambros. 5. vbi dicit, Antequam consecratur, panis est, vbi verba Christi accesserint, corpus est Christi. Et lib. de iis, qui iniciantur, ca. 9. Sacramentum (inquit) accipis, Christi sermone conficitur, & in illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis est, sed spiritualis. Secunda locutio est, quia dicunt, hoc Sacramentum esse cibum animarum, & panem celestem, 1. ad Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Panis autem celestis non sunt solae species, sed praecipue corpus Christi, iuxta illud Io. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est: & ideo subdit Paulus supra: qui hunc panem indigne manducat, iudicium sibi manducat, quia non diiudicat corpus Domini. Vnde Iustin. Apolog. 2. in fine, Hoc alimentum apud nos (inquit) vocatur Eucharistia: quam infra dicit esse carnem & sanguinem Christi. Et Tertul. lib. de resurrectione carnis. Caro (inquit) corpore & sanguine Christi vescitur, & anima saginatur: & Greg. in c. Multi. 1. qu. 1. Polluimus (inquit) panem; hoc est, corpus Christi, quando sordidi accedimus ad altare. Ac denique Tridentin. sessio. 13. cap. 2. sentit, hoc Sacramentum esse cibum illum, & potum, qui à Christo institutus est, vt nos spiritualiter reficiat. Tertia locutio est, quia hoc Sacramentum dicitur adorandum esse latrā. Trident. sess. 13. cap. 5. & can. 6. sed hoc potissimum est verum propter corpus Christi. Nam species, licet coadorentur cum Christo, tamen tota ratio adorationis, & id, quod per se primo adoratur, est Christus. Quarta sit, quia id, quod est Sacramentum, dicitur offerri Deo in sacrificium, & è contrario, quod oblatum est in sacrificio, manere in Sacramento: sed totum hoc est verum propter Christum, qui propterea dicitur esse sacrificium à Tridentino sessione 22. cap. 1. ergo. Ac denique tota Ecclesia eodem modo loquitur, de Eucharistia ac de corpore Christi, vt contento sub speciebus, vt rumq; enim dicimur sumere & colere, &c. Vnde Paulus 1. ad Cor. 11. de hoc Sacramento loquens, Probet autem (inquit) seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Vbi eandem Eucharistiam corpus Domini appellat, sicut Ioan. 6. dixit Christus, Qui manducat hunc panem, viuet in aeternum. Quia panis ille (vt August. ait, li. annotationum in Iob. c. 6.) Sacramentum est corporis, & sanguinis Domini. Ex quibus omnibus talis potest ratio concludi: Eucharistia est id, quod à Christo est institutum, vt per modum cibi & potus reficiat nos, vt dixit Tridentin. supra cap. 2. sed cibus hic non sunt species, sed caro Christi sub speciebus, vt ostensum est: ergo.

Tertio principaliter argumentor ratione, quia ex corpore & speciebus fit aliquo modo vnum: ergo fit vnum Sacramentum. Antecedens probatur, tum quia

S. Irenaeus.

Claudius.

Hefychius.

Algerus.

2. Probatur

Patrum lo-

utionibus.

Prima.

S. Ambros.

S. Iustinus.

Secunda.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

S. Iustinus.

Tertul.

S. Gregor.

Conc. Trident.

Tertia.

Quarta.

Augustinus.

Tertio pro-

batnr cõclu-

sionat. on. c.



quia infra ostendemus, esse aliquam vniōnem inter corpus & species, si non physicam & formalem, saltem effectiuam & sacramentalem: quæ ita explicatur: quia corpus Christi substituitur loco substantiæ panis: vnde, sicut substantia illa cum suis accidentibus faciebat aliquo modo vnum, media aliqua vniōne, ita corpus Christi licet alio modo & ratione. Quod etiam colligi potest ex illo verbo formæ: Hoc est, nam illud, hoc, significat hoc sensibile, tanquam quid vnum. Consequentia vero prima probatur, tum quia non potest signari aliud, quod ex corpore & speciebus componatur, nisi Sacramentum Eucharistiæ, tum etiam, quia illud vnum est vnum signum efficax gratiæ: ergo vnum Sacramentum. Antecedens patet, quia illud vnum proponitur, tanquam vnum cibus significans refectiōnem animæ. Quod recte explicuit Lanfrancus supra, col. 6. dicens. Ecclesia Christi sic panem in carnem, & vinum credit cōverti in sanguinem, vt tamen salubriter credat Sacramentum esse Dominicæ passionis, diuinæ propitiatiōnis, concordie, & vnitatis. & infra col. 13. explicans quædam locum Augustini, inquit, Sacramentum corporis Christi, quantum ad id spectat, q̄ in Cruce immolat<sup>9</sup> est ipse Dominus Christus, caro eius est, quam forma panis operam in Sacramento accipimus. Itaq̄ ipsūmet corpus Christi, speciebus panis operatum, signum est sui ipsius, in forma visibili, vt latius infra quæ. 75. dicitur sumus, & eadem ratione signum est refectiōnis spiritualis, quam in nobis efficit, de qua efficacia dicam statim, soluendo argumenta.

Lanfrancus.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ, vt variè Sanctorum locutiones intelligantur, aduertendum est, licet hoc Sacramentum, vt diximus, sit compositum ex corpore Christi & speciebus, tamen aliquid præcipue ei conuenire ratione corporis, aliquid ratione specierum. Vnde quædam sunt nomina huius Sacramenti, quæ præcipue significant corpus, & veluti pro illo supponunt: vt est, panis vitæ, sacrificium, cibus animæ, & nomen etiam Eucharistiæ, videtur esse huiusmodi, & ideo simpliciter vocatur caro Christi, vel sanguis. Alia vero sunt nomina præcipue sumpta à speciebus, vt est nomen Sacramenti, quamuis hoc proprie totum compositū significare possit, & pro illo supponere, vt cum dicimus, sanctissimum Sacramentum. Iam ergo ad primam locutionem, in qua species dicuntur Sacramentum tantum, respondetur: ita vocari, quia ab illis sumitur significatio sensibilis, quæ quodammodo Christi corpori communicatur: quia ergo hæc significatio in solis speciebus per se primo fundatur, ideo dicuntur Sacramentum tantum: nunquam tamen excluditur corpus Christi à compositione huius Sacramenti. Sicut etiam in Sacramento Penitentiæ confessio dici solet Sacramentum tantum: quia ratio signi per se sensibilis ex illa sumitur, respectu contritiōnis: & nihilominus non excluditur contritio ab intrinseca compositione illius Sacramenti: quo exemplo etiam intelligitur, quomodo eadem res, quæ vt præcisa à signo exteriori, & significata per illud, dicitur res & Sacramentum simul: vt coniuncta signo externo, & quasi informans vel sanctificans illud, possit cum illo componere integrum Sacramentum. Secunda locutio est, quia corpus Christi dicitur cōtineri in hoc Sacramento, quæ vera esse potest, tum ratione specierum, tum ratione totius, sicut anima dicitur, esse in corpore & homine. Non tamen dicitur ita proprie corpus Christi esse sub hoc Sacramento, sicut sub speciebus. Vnde Tridentin. propriissime locutum est, dicens, corpus Christi esse in hoc Sacramento sub speciebus sensibilibus. Tertia erat ex cap. Ego Berengarius, vbi sermo est contra hæreticum, negatē realem Christi præsentiam, & ideo dicentem, post consecrationem in altari manere solum Sacramentum, id est, signum Christi, non Christum. Contra hunc ergo dicitur, manere non tantum Sacramentum, sed etiam

Ad primam Sanctorum locutionem.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Christum, id est, non solum signum, sed etiam rem signatam. Vide circa hoc, quæ refert Claudius repetit. 9. cap. 6. fol. 339. in fine, & 340.

Ad primam rationem responderetur iam ostensum esse ex corpore & speciebus, fieri vnum vniōnem saltem sacramentalem. Quomodo autem inter se comparentur corpus & species, & ad illud totum, quod componunt, explicare restat. Quidam dicunt, se habere, vt partes integrantes. Sed non placet, quia illa compositio nullam habet proportionem cum hac. Alij comparant cum accidente & subiecto, habitu & vestito, loco & locato continente & contento, in quibus omnibus est aliqua similitudo, & proportio, non tamen proprietas, seu identitas, & in illis omnibus etiam est quædam similitudo materiæ & formæ. Primo igitur in forma dici potest ad argumentum, corpus comparari, vt formam ad species, tum quia est illis nobilior, tum etiam, quia est veluti virtus illarum, sanctificans illas, vt Diuus Thomas supra quaestio. 63. artic. 1. ad 2. Ex qua, iuxta solut. ad 3. colligi potest, sicut humanitas sanctificatur per Verbum illi vnitum, quod hæc ratione se habet, vt forma eius, ita species sanctificari per realem præsentiam, & vniōnem corporis Christi: & hac ratione comparari, vt formam earum: ac si in Sacramento Penitentiæ diceremus, contritiōnem esse formam confessionis dantem illi vitam & sanctitatem, quamvis tota confessio dolorosa comparatur, vt materia ad absolutionem. Secundo dici potest corpus Christi se habere, vt materiam, tum, quia in compositione ex accidente & subiecto, id quod est nobilior, se habet, vt materia: in hoc autem cibo substantia eius est corpus Christi: tum etiam, quia in artificialibus hæpe materia est id, quod est nobilior, & quod præcipuam vim confert ad agendum: Sacramenti autem compositio est veluti rei artificialis. Et vtrumque horum est probabile, nam cum hæc ratio materiæ & formæ solum ponatur in proportione quadam, sub diuersis considerationibus potest ad diuersa accommodari. Si vero tandem vtgeat aliquis inquirendo, quid principaliter constituat hoc Sacramentum. Responderetur in ratione signi visibilis principaliter constitui per species, vt per se constat, & ita ad rationem Sacramenti, quæ in ratione signi consistit, magis pertinere species, quamuis ad rei nobilitatem, efficacitatem, & significationem, ac pinguis diuini amoris, multo magis corpus Christi conferat.

Ad secundam rationem primo certum est, carnem Christi habere in hoc Sacramento præcipuam efficientiam sacramentalem, vt Diuus Thom. quaest. 72. artic. 4. circa finem, & communiter Theologi distinctione 8. quamuis enim in contrarium citentur Maior, Gabr. & Marfil. ego tamen non inuenio loca, vbi hoc negauerit, sed potius hoc aperte sentit Marfilius, quaestione 6. artic. 2. & colligi potest ex Ioan. Qui manducat me, & ipse viuere propter me. Ratio est, quia caro Christi est instrumentum coniunctum diuinitati, & in hoc Sacramento adest præcipue ad sanctificandos fideles, & per modum cibi hanc sanctificationem significat, cur ergo non efficiet? Itaq̄ ex hac parte non procedit argumentum.

De speciebus vero non est res adeo certa. Nam Caietan. quaest. 80. art. 12. dub. 2. negat species hanc efficientiam: quem sequitur Ledesma 1. parte quaest. 14. art. 1. dub. 3. quamuis non satis clare. Itaque quæ sententiam respondendum est, inde non sequi, Sacramentum hoc non constitui ex speciebus sensibilibus, quia de ratione Sacramenti non est, vt per omnem suam partem gratiam efficiat, sed per vnā aliquam magis præcipuam: & ideo quamquam hoc Sacramentum ex corpore Christi, & speciebus componatur, fieri potest, vt tota vis agendi sit

*Verum sumptio Eucharistia sit Sacramentum, vel pars eius?*

**H**eretici, qui dicunt, Christum non esse presentem in hoc sacramento, nisi quando accipitur, & est in usu, consequenter dicunt, hoc Sacramentum in usu consistere, sicut cetera, atque adeo precipuam partem eius esse usum ipsum. Nos vero supponimus id, quod de fide est, & infra probandum, Christum permanentem esse in hoc Sacramento statim post consecrationem. Ex quo consequenter certum existimo: ante huiusmodi sumptionem seu usum, esse verum Eucharistiae Sacramentum constitutum, ut supra ex Concilio Tridentino docuimus, & docuit aperte D. Thom. quæst. præcedenti, art. 1. ad 3. constituens differentiam inter hoc Sacramentum, & reliqua, quod hoc perficitur in consecratione materiae, alia vero in usu. Iam vero difficultas est, quomodo usus se habeat ad rationem Sacramenti.

*Hereticorum quorundam error.*

*Conc. Trid. D. Thom.*

Prima sententia est, esse partem huius Sacramenti, atque adeo ante usum, vel Sacramentum non esse, vel certe non esse integrum. Sicut Sacramentum Pœnitentiæ conficitur ante satisfactionem, & nihilominus satisfactio est pars ad illius integritatem pertinens. Cuius sententiæ fuisse videtur Aureolus apud Capreol. in 4. d. art. 2. in argumentis contra primam conclusionem. Quamvis hic author sensisse videatur esse partem essentiali. Ratio eius est, quia sumptio Eucharistiae complet significationem, & effectum eius, quia ante sumptionem, nec gratia confertur, nec perfecte significatur unio fidelium cum Christo: sed quod significat, & confert gratiam, vel est Sacramentum, vel pars essentialis Sacramenti: cum ergo hæc sumptio non sit Sacramentum integrum, erit pars huius Sacramenti.

*Aureolus.*

*2. Sententia.*

*Gabriel.*

Secunda sententia negat, sumptionem Eucharistiae esse Sacramentum, vel partem Sacramenti Eucharistiae: affirmat vero per se esse Sacramentum ab Eucharistia distinctum, quamvis per reductionem sub illo numeretur. Ita Gab. d. 8. & probatur: quia in hoc usu concurrunt omnia, quæ sunt de ratione Sacramenti: nam, est ceremonia sacra, & sensibilis: & fit ex institutione & præcepto Christi, ut patet ex illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, & ex illis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Ac denique non deest significatio: quia si ad fundamentum seu proportionem respiciamus, nihil est apertius ad spiritualem refectioem significandam, quam ipsa sensibilis manducatio: si vero ad institutionem, etiam hic invenimus institutionem Christi, quia non aliter imponitur Sacramentum ad significandum, quæ influcendo ceremoniam sacram, quæ ad sanctificationem fidelium ordinatur. In Sacramentis autem novæ legis, ut hæc significatio sit efficax, requiritur promissionem gratiæ, quam etiam in hoc usu invenimus, iuxta illud, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Qui ergo obitare potest, quo minus hic usus Sacramentum sit? Et confirmo: Quia in aliis Sacramentis usus ipse est Sacramentum; solum, quia concurrunt dictæ conditiones: cur ergo non erit idem in presenti? Dices, quia ipsa res, quæ ad usum applicatur, est Sacramentum. Sed hoc non videtur obitare: quia illa duo non repugnant inter se; sicut, si Christina esset Sacramentum, vel in eo Christus realiter adesset, nihilominus unctio Chrismatis, si in ea daretur sanctificatio, sicut nunc datur, esset Sacramentum: imo videretur esse perfectius, quia esset usus sacer, & signum sacrum, sicut nunc est, & sumptio Eucharistiae non est Sacramentum. Sic ergo perfectius, quanto res, quæ fieret unctio, sanctior esset, ergo similiter, &c.

*Sumptio Eucharistiae non est Sacramentum. D. Thom.*

Dicendum vero primo est, sumptionem seu usum neque esse Sacramentum Eucharistiae, nec partem illius. Hæc est aperta sententia D. Thomæ loco supra citati.

Rr 2 pra ci-

di fit in corpore: seu potius, ut ipsum corpus comparatur ad species, sicut virtus activa illarum, ut in summa dicitur Thom. quæst. præcedenti, art. 1. ad primum, unde sicut aliqui dicunt, verba aliorum Sacramentorum, & materiam agere denominatiue tantum per virtutem in prellam, ita dici poterunt species hic agere solum per Christum, qui est veluti earum virtus. Hæc tamen non inveniunt rationem mihi satis probabilem, quia ostendi possit, species non habere proprium influxum & efficaciam gratiæ in hoc Sacramento: certum est enim posse à Deo affumi, ut instrumentum non minus, quam ablutionem in baptismo, vel alias materias in cæteris Sacramentis. Si autem hoc est possibile, unde probari potest non factum esse, cum hoc Sacramentum sit dignius cæteris, & species sint vera materia, ex qua ipsum componitur? nam quod Christi corpus ad sit, & efficiat, non obstat: quia possunt simul concurrere, quin potius iuvare potest: nam ex coniunctione cum ipso Christo perfectius recipiunt species hanc virtutem: unde Cyprianus ait sermone de Cena Domini. Cibis hic verus & sincerus per speciem & Sacramentum non tactu sanctificat, quo etiam sensu paulo ante dixerat, visibilis? Sacramentis inesse vitam æternam esse actum. Confirmatur primo, quia Sacramentum novæ legis efficiunt, quod significant: sed species significant unione cum Christo: ergo illam efficiunt, vel perficiunt. Confirmatur secundo, quia species sunt signa sacramentalia, seu Sacramentum tantum præsens, & commode applicatum, sed Sacramentum tantum, efficit rem Sacramentis, ergo. Dicuntur autem agere species in virtute carnis Christi: quia hanc virtutem accipiunt, propterea quod Christum continent, non quod hæc virtus sit aliqua res, fluens à carne Christi ad species: hoc enim supervacaneum est, & vix intelligi potest, ut latius diximus agendo de Sacramentis in genere: sed quod species, eo quod continent Christum, eleventur, ut simul cum ipso gratiam efficiant, in qua actione tantum Christi corpus, quam species concurrunt, ut instrumentum, illud ut coniunctum substantialiter principali agenti: hæc vero, ut separatam, seu accidentaliter virtutem. Virtus autem principalis proprie tantum est in Deo, quodammodo tamen dicitur caro Christi principale agens, respectu specierum: quia est coniuncta principali agenti, & quia ratione illius eleventur species, & non è contrario. Et hoc solum voluit docere D. Tho. in illa solut. ad primum. Et hanc sententiam docuit Richard. distinct. 8. artic. 1. quæst. 1. & eam in summa Bonavent. in 2. part. illius distinct. art. 2. quæst. 1. & hanc censeo esse mentem D. Thomæ infra quæst. 79. art. 1. ad 2.

Dices, ergo non aliter caro Christi in hoc Sacramento efficit gratiam, quam cum cæteris, quia etiam cum Baptismo concurrat ad effectum eius, &c. Respondetur primum, non esse tam certum ad effectus aliorum Sacramentorum concurrere proxime, & immediate humanitatem Christi, sicut est certum, concurrere ad effectum huius Sacramenti: quia hic est specialis ratio, cum hic ipse Christus sit vere Sacramentum, & non in aliis. Unde in cæteris, ad summum influit per modum causæ uniuersalis in suo genere, hic vero ut particularis, & propria causa. Rursus in reliquis influxus eius pendet ab ipso, ut existente in celo, in hoc vero pendet ab ipso, ut realiter hic presente, & quatenus mediis speciebus contingit ipsum suscipientem. Præterea etiam probabile est cum aliis Sacramentis tantum concurrere per suam voluntatem: hic vero etiam per contactum suæ carnis, & pretiosissimi sanguinis, ita ut species sacramentales subordinentur ipsi in agendo, & ut auctori Sacramentorum per voluntatem suam influenti, & ut proprie causæ, seu potius concausæ effectuiæ specialis gratiæ sacramentalis huius Sacramenti.

Franc. Suarez Tom. 3.

Pra citato, & infra quaest. 78. artic. 1. ad 2. ubi dicit, sumptionem esse veluti actum secundum huius Sacramenti, & hoc modo pertinere ad extrinsecam perfectionem eius, sicut agere ad perfectionem agentis. Idem sentiunt alij Theologi, distincti. 8. praesertim Capreolus & Soro, & Ledesma, & hoc tempore omnino ita sentiendum videtur, tum quia Concilium Tridentinum, sessio. 13. cap. 3. plurimum huic sententiae fauet: tum etiam propter cauendam haereticam, quae realem Christi praesentiam solum in usu ponit. Probatur autem primo, quia per consecrationem conficitur Sacramentum Eucharistiae, sed consecratio perfecta est ante usum, & independens ab illo: ergo. Secundo, ex communibus locutionibus de hoc Sacramento: dicitur enim esse cibus animae, sumi à fidelibus, continere corpus Christi, & alia huiusmodi, quae nullo modo possunt ipsi sumptioni accommodari. Tertio, Eucharistiae Sacramentum à solo Presbytero integre conficitur, at vero ad usum applicari potest etiam à Diacono: signum ergo est, usum huius Sacramenti nullo modo ad illius constitutionem pertinere. Quarto, hic usus non potest esse pars essentialis, alias ante illum non esset confectum, Eucharistiae Sacramentum, quia ab ipsa essentiali parte non potest res consistere. Nec vero est pars integralis, quia neque est pars formae, ut per se constat, nec materiae, quia Concilia non usum panis aut vini, sed ipsum panem & vinum dicunt esse materiam remotam, ratione substantiae, seu quatenus sint materialia elementa: proximam vero, ratione specierum continentium Christum.

Capreolus.  
Soro.  
Ledesma.  
Conc. Trid.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Sumptio Eucharistiae non est per se sacramentum

Dico secundo, Hic usus seu sumptio Eucharistiae non est per se Sacramentum ab aliis distinctum. Est communis conclusio, sicut praecedens, quam Maior distincti. 8. quaestione unica, more Nominalium probat, quia sumptio Eucharistiae non distinguitur ab Eucharistia, ergo non potest esse distinctum Sacramentum. At vero pari modo posset inferre, hunc usum esse Sacramentum, falsum ergo assumit, quia usus aliquid addit praeter rem, quae utimur, scilicet, aliquem motum, contactum, vel operationem ex natura rei distinctam ab ipsa re, quae distinctio in aliis Sacramentis sufficit, ut ablutio, aut unctio sit Sacramentum, verbi gratia, & non aqua, aut chrisma. Aliiter ergo probatur, primo illa generali ratione, quia alias sequeretur in rigore esse plura Sacramenta, quam septem. Secundo, quia Sacramentum nouum, legis, quod in usu consistit, habet propriam formam, propriumque effectum ab aliis distinctum, imo & proprium ministrum necessarium de necessitate Sacramenti, Baptismo solum excepto, propter singularem illius necessitatem, hic vero usus, nec formam habet, nec effectum ab effectu Eucharistiae distinctum, ut per se constat: nec requirit certum ministrum de necessitate Sacramenti, aut ad effectum praestandum omnino necessarium: ergo. Maior patet tum inductione, tum etiam, quia Sacramenta per proprias formas, & sacramentales effectus praecipue distinguuntur. Tertio explicatur haec ratio, quia promissio gratiae huius Sacramenti per se non est facta sumptioni, ut causae per se eius, sed Eucharistiae, id est, corpori Christi sub speciebus, sicut ipse dixit, Qui manducat me, & ipse uiuet propter me: ipse ergo est, qui per se efficit gratiam, sumptio vero solum est conditio necessaria, seu, sine qua non: non est ergo sumptio Sacramentum, sed id, quod sumitur. Vnde etiam fit, hunc usum non esse caeremoniam sacram, per se impositam ad significandum, sicut nec ad efficiendum gratiam, quia sicut promissio gratiae non est per se illi facta, sed Eucharistiae, consequenter vero redundat, & communicatur sumptioni, ut conditioni sine qua non, ita nec per se primo est instituta ad significandum, sed consequenter etiam participat significationem magis ex necessaria connexionem, quam ex directa impositione.

1. 2. Ratio.

3. Ratio.

Dico ergo tertio, Sumptio Eucharistiae solum est applicatio Sacramenti, seu conditio necessaria, ut Sacramentum operetur. Haec conclusio sequitur ex dictis, quia suppositis, quae diximus, nihil aliud esse potest: propria enim, per se actio Sacramenti est internum ac spirituale charitatis augmentum, ad hanc vero actionem necesse est, ut homini applicetur, eoque sacramentaliter contingat, hoc autem fit per manducationem, & hoc sensu dixit D. Thomas, loco supra citato, usum pertinere ad extrinsecam perfectionem huius Sacramenti, sicut agere spectat ad perfectionem agentis, sub illa enim voce, agere, inclusit etiam applicationem agentis ad agendum necessariam. Fundamentum vero aliarum opinionum soluta sunt edictis, praeterquam vltima confirmatio, in qua sit comparatio inter usum huius Sacramenti & aliorum. Citata quam Ledesma supra existimat, eandem esse rationem de hoc, & de his Sacramentis, quia sicut applicatio Eucharistiae (inquit) non est Eucharistia, nec per se efficit gratiam, ita nec applicatio Baptismi est Baptismus, nec per se gratiam confert: Sed in hoc valde deceptus est, quia constat, in Baptismo & aliis Sacramentis, quae consistunt in usu, applicationem Sacramenti non distinguui ab usu Sacramenti. Et ratio est, quia usus rei non potest per alium usum applicari, sicut nec potest actio alia actione fieri, alias opereretur in infinitum procedi. Sicigitur, sicut ablutio est Baptismus, ita etiam est applicatio Baptismi, instrumentalis causa gratiae. Vnde D. Thom. q. praecedenti, art. 1. ad 3. constituens differentiam inter hoc, & alia Sacramenta, dicit, alia perfici in applicatione materiae ad hominem sanctificandum: & Con. Trid. sess. 13. cap. 3. eandem differentiam tractans, inquit, hoc Sacramentum perficitur ante usum, reliqua vero tunc accipere vim sanctificandi, cum illis utimur. In ipso ergo usu consistit vis, & ratio aliorum Sacramentorum. Vnde ad confirmationem responderetur, negando similitudinem, nam in aliis Sacramentis, usus est per se primo institutus ad significandum & sanctificandum, ablutio enim sanctificat, quia per se est ad hoc imposita, non quia ipsa aqua secundum se virtutem aliquam habeat. In usu vero huius Sacramenti sanctificantur fideles, propter virtutem & efficaciam ipsius cibi: vnde alia Sacramenta per se instituta sunt, ut fiant, hoc vero non fit, & sumatur in cibum, feruetur in vitium, & ut pignus hereditatis aeternae habeatur: ac denique, ut in sacrificium offeratur. Ex quibus concludi potest primo, quid sit Eucharistia, si physice ea describere velimus: est enim vel species consecratae, corpus & sanguinem Christi continentes, vel e contrario est corpus & sanguis Christi, ut contenta sub speciebus consecratis. Vel denique est sacramentalis cibus, ex corpore & sanguine Christi & speciebus constants, quolibet enim horum modorum satis explicatur tota essentia huius Sacramenti, praesertim quoad materiam, indicatur vero forma, quatenus per illam species consecrantur.

Secundo colligitur ex dictis, pro quo supponat Eucharistia, vel Sacramentum Eucharistiae absolute dictum: quibusdam enim placet, ut supponat pro speciebus, connotando corpus contentum. Aliis e contra ut supponat pro corpore, connotando species contentas: aliis, quibus ergo magis assentior, pro toto composito, seu cibo sacramentali & sensibili. Primo, quia ut dixi, hoc est proprie Sacramentum Eucharistiae. Secundo, quia in materia de Sacramentis in genere ostendi, quodlibet Sacramentum, verbi gratia, Baptismum, supponere pro toto composito, ad quod significandum est impositum, quamquam in ordine ad formam videatur esse specialis ratio in hoc Sacramento, quoad suppositionem: nam, quia illius forma est quodammodo extrinseca, & realiter ac physice transit, & non manet: videtur proprie impositum nomen huius Sacramenti, ita, ut iuxta communem usum, supponat pro re permanente, connotando formam. Tertio,

rio, quia in aliis rebus artificialibus similis modus suppositionis inuenitur: domus enim supponit pro toto composito ex fundamentis, parietibus, & tecto, ut ibidem expositum reliquimus. Addendum vero est, licet hæc sit propria & rigorosa suppositio, interdum Eucharistia nomen accipi pro speciebus ipsis, & sæpius pro corpore Christi, quia hæc omnia participant rationem sacramenti, & sunt ita inter se connexa, ut sub vno facile aliud intelligatur.

Tertio constat facile ex dictis, quid in Eucharistia sit res tantum, Sacramentum tantum, res & Sacramentum simul. Res enim tantum est effectus, qui in suscipiente efficitur, qui est gratia & charitas, seu unitas corporis Christi mystici: hæc enim omnia idem sunt, ut recte Caietanus notauit, q. præcedenti, art. 1. & prius Bonauentura distinctione 8. 2. par. ar. 2. quæstio. 1. ad vltimum, est enim proprius effectus huius Sacramenti, quod per modum cibi & conuiuij institutum est, plures inter se coniungere, eosq; vnire tam cum ipso cibo, quam cum authore cibi, & conuiuij, ut laicus in sequentibus, & præsertim q. 7. dicturi sumus. Res & Sacramentum simul, est corpus Christi, quod est in ipsa materia, in quo differt ab aliis Sacramentis, in quibus res & Sacramentum semper est in suscipiente, nam licet in sacramento poenitentia, contritio, quæ est res & sacramentum simul, sit in materia, tamen etiam est in suscipiente. Vnde intelligitur, quod licet contritio per se sumpta non est sacramentum, sed vt fit aliquo modo sensibilibus per confessionem, ita corpus Christi per se non est sacramentum, sed vt aliquo modo sentiri potest per species: res autem dicitur, quatenus sub illis sacramentaliter continetur, & significatur. Sacramentum autem tantum, si præse sumatur, ita vt rem Sacramenti nullo modo includat, sunt solæ species sensibiles, sed hic præcisus conceptus non est de ratione Sacramenti, vt in Sacramento poenitentia videre licet: id enim quod est Sacramentum tantum, essentialiter includit contritionem perfectam vel imperfectam, quæ est res & sacramentum simul: quia non includit illam vt rem, seu vt significatam, seu solum vt significantem, seu vt partem integri signi sensibilibus: significatur in presenti, Sacramentum tantum completum & integrum dici potest Eucharistia, quatenus est panis caelestis, & perfectum ad completum gratia spiritualis signum.

ARTICVLVS II.

Utum materia huius sacramenti sit panis & vinum?

**A**d primum sic proceditur. Videtur, quod materia huius Sacramenti non sit panis & vinum. Hoc enim Sacramentum perfectius debet representare passionem Christi, quam Sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, quæ erant materie Sacramentorum veteris legis, expressius representant passionem Christi quam panis & vinum. Ergo materia huius Sacramenti magis debet esse carnes animalium, quam panis & vinum.

2. Præterea, hoc Sacramentum est vbiq; celebrandum. Sed in multis terris non inuenitur panis & uicium, & in aliquibus non inuenitur vinum: ergo panis & vinum non sunt conueniens materia huius Sacramenti.

3. Præterea, hoc Sacramentum competit sanis & infirmis: Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum non debeat esse materia huius Sacramenti.

Sed contra est, quod Alexand. Papa dicit: In Sacramentorum oblationibus panis tantum & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

Respondendo dicendum, quod circa materiam huius Sacramenti aliqui multipliciter errauerunt. Quidam enim, qui dicuntur Ariotyritæ (vt August. dicit in lib. de heresib.) offerunt panem & calicem in hoc Sacramento: dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terra & olium fuisse celebratas. Franc. Suarez. Tom. 3.

tas. Alij vero scilicet Cataphrygæ, & Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctationum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam consecrare perhibebant, miscentes eum farina, panemq; inde facientes. Quidam vero, qui dicuntur Aquary, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc Sacramento offerunt. Omnes autem hi errores & similes excluduntur per hoc, quod Christus hoc Sacramentum sub specie panis & vini instituit, vt patet Matth. 26. Vnde panis & vinum sunt materia conueniens huiusmodi Sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad vsum huius Sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in Sacramento Baptismi ad vsum spirituales ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis & vinum, quibus communis homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad vsum spirituales manducationis. Secundo, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus. Et ideo in hoc Sacramento, quod est memoriale Domine passionis, forsam sumitur panis, vt Sacramentum corporis: & vinum, vt Sacramentum sanguinis. Tertio, quantum ad effectum considerandum in vnoquoq; fontium, quia vt Ambr. dicit super Epistol. ad Corinth. hoc Sacramentum vult ad tuitionem anime & corporis. Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute anime offertur: sicut dicitur Ierem. 17. quod anima carnis in sanguine est. Omnia quantum ad effectum respectu totius Ecclesie, que constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis consecratur ex diversis granis, & vinum sicut ex diversis viuis, vt dicit gloss. super illud 1. Corinth. 10. Multi vnum corpus sumus, &c.

Ad primum ergo dicendum, quod licet carnes animalium occisorum expressius representent Christi passionem: tamen minus competunt ad communionem vsum huius Sacramenti, & ad Ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad secundum dicendum, quod licet non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius Sacramenti. Nec propter defectum alterius est vnum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod vinum in modica quantitate sumptum, non potest multum egrotanti nocere. Et tamen, si nocuum timentur, non est necess. quod omnes accipientes corpus Christi, etiam accipiant sanguinem, vt infra dicitur.

COMMENTARIVS.

**R**efutatis erroribus affirmat D. Thom. materiam huius sacramenti esse panem & vinum, quod primo probat ex facto & institutione Christi. Deinde affert optimas coniecturas: nulla tamen expositione indigentes: nam licet fortasse per se singulæ nō concludant, omnes tamen simul sumptæ satisfaciunt. Nam prima, quæ assumit materiam communi vsui accommodatam fuisse conuenientem, & quamvis in veraque specie locum habeat, multo magis de pane satisfact, quam de vino, & ideo adduntur tertia & quarta ratio, quæ optime ostendunt congruentiam vini potius, quam aquæ, quia est aptius ad significandum sanguinem, & animæ sanctificationem, ac fidelium unitatem. Secunda vero ratio solum probat oportuisse duas species distinctas consecrari, quibus mors Christi in qua anima a corpore separata est, distinctius significaretur.

In solutione ad primum, redditur optima ratio, ob quam non decuit sacramentum hoc sub specie alienius animalis institui, quia non erat materia apta ad vsum, neque ad Ecclesiæ unitatem significandam: adde, nec fuisse decentem ad munditiam huius Sacramenti, in quo etiam ostendi oportebat legalia sacrificia cessasse. In solutione ad 2. & 3. grauis indicatur difficultas: An liceat interdum vnam speciem sine alia consecrare, de qua statim dicitur.

